# DE THESEI SYNOECISMO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO ORDINI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS OBTULIT

THEODORUS KAUSEL

GYMNASII DILLENBURGENSIS PRAECEPTOR.

MARBURGI CATTORUM.

MDCCCLXXXII.

TYPIS E. WEIDENBACHII DILLENBURGENSIS.

# De Thesei synoecismo.

Thesei institutis quibusdam Athenas magnas opulentasque factas posteris esse traditas Thucydides, quem grandem fuisse verbis, sententiis crebrum iudicat Cicero [1]), auctoritate sua confirmat. Neque minus alii testantur veteres scriptores [2]) Theseo rege res atticas virere et in dies magis crescere atque augeri coepisse. Recte igitur omnes recentioris aetatis rerum scriptores consentiunt, Thesei synoecismum quem vocant, cum hic vir sapientissimus universos Atticae cives fecisset cives athenienses, initium fuisse florentissimarum rerum et ad rempublicam et ad artes literasque spectantium, quem posteri etiam nunc tanta admiratione imbuti suspicimus, ut populum atheniensem ceteris Graeciae populis praeferre non dubitemus. Cum veteres scriptores testantur, tum nos lubenter credimus et confitemur, populum Atheniensium ingenio, prudentia, legum obsequio, patriae caritate, omni denique virtute civili ceterorum Graecorum longe praestantissimos fuisse. [3]) Quae cum ita sint, profecto mirum non videtur, quod urbanae quoque amplificationis Athenarum historia recentiore tempore saepius retractata est. Atque ut alios libros silentio praetermittam, Wachsmuth [4]) inprimis nuper historiam veteris urbis Athenarum continuam composuit, quae merito, ut videtur, viris doctis probata est. Praecipue inquisitiones topographicae dignae sunt, quibus summa laus tribuatur. Attamen quarta pars illius libri historiam urbanam continens caute tantum accipi posse videtur, utpote quae phantasia quadam et opinione non omnibus probanda contexta videatur, ita ut omnibus illius viri docti explicationibus assentiri non possimus. Atque mihi quidem praecipue repudianda videtur illa ratio, qua Wachsmuth de Thucydide principali fonte iudicat, neque dubito, quin sic etiam multi alii mecum arbitrentur. W. enim, ut fulciat atque confirmet opinionem de synoecismo attico prolatam, eorum quae Thucydides de illis rebus publicis profert, multa respuere et improbare cogitur. Neque vero diffiteor, isto ipso Wachsmuthii de Thucydidis fide iudicio ad hanc dissertatiunculam scribendam me esse adductum.

---

1) Brutus 7. 29.

2) velut Diod. IV. 61: *ἀπὸ τούτων τῶν χρόνων* (sc. post Theseum) *Ἀθηναῖοι διὰ τὸ βάρος τῆς πόλεως φρονήματος ἐνεπίμπλαντο καὶ τῆς τῶν Ἑλλήνων ἡγεμονίας ὠρέχθησαν.*

3) cf. Schömann, opusc. II.

4) „Die Stadt Athen im Altertum."

Antiquissima civitatis Atheniensium tempora satis obscura et quasi nebulis nimis velata sunt, neque quisquam aequalis temporibus illis scriptor exstat, quo satis certo auctore stetur. At in eorum numero, qui postea de pristinis rebus scripserunt, referendus est Thucydides, auctor haudquaquam spernendus, sed optimus potius et locupletissimus, quem omnibus ceteris fide et iudicio praestare quis est qui infitietur? Atque is quidem capite quinto decimo libri secundi statum antiquissimae civitatis atheniensis cuius modi fuerit describit, prudenti iudicio ea quae tradita erant, diiudicans et cernens. Ut vero eius capitis argumentum plane intellegamus, spectandum est, quo loco hanc rerum atticarum scriptor narret partem, quam exponere ab iis, quae ut explicaret proposuit sibi scriptor, alienissimum est. Quid enim Theseus in explicando bello peloponnesiaco? Et profecto casu accidisse contendemus, ut Thucydides hanc partem insignissimam gravissimamque rerum atticarum describet, si levem respexerimus causam, qua scriptor ut a proposito aberret commovetur.

Ineunte bello peloponnesiaco ait Th. Periclem Atheniensibus suasisse, ut se suaque ex agris in urbem comportarent. 1) Et secutos Periclis consilium Athenienses mulieres, liberos, rem familiarem intra muros coëgisse. Sane quidem — quod enuntiatum maxime respiciendum est et premendum — aegerrime illos migrasse, quia plurimi (sc. Athenienses) semper ruri vitam degere consuevissent 2) ex antiquissimis temporibus. 3) Quod qui factum sit Thucydides, postquam XV. capite exposuit, XVI. capite summatim repetens profert, „quia igitur propter diuturnam liberam vitam rusticam etiam post mutationes quasdam — venia sit mihi interim plane incerte loquenti — ex consuetudine plurimi et priorum et posteriorum usque ad illud bellum in agris cum tota familia versarentur et habitarent, haud facile eos demigrasse.“ 4)

Haec igitur, ut caput XV prorsus intellegamus, omnium praecipue respicienda sunt: narrare Thucydidem hoc capite res, mutationes, instituta, quae non possent efficere, ut plurimi incolarum atticorum ruri habitare desinerent atque in urbem immigrarent.

Iamiam rem ita pertractare mihi in animo est, ut

primum caput illud XV accuratissime interpretando, quae sit Thucydidis de veterrima Atticae historia opinio, statuam,

deinde quid Wachsmuth cum de Thucydidis verbis huc spectantibus tum de Thesei synoecismo proferat, explorem et diiudicem,

denique respectis reliquorum veterum scriptorum testimoniis meam de synoecismo sententiam breviter proponam et confirmare studeam.

## Cap. I.

Thucydides capite XV veterrimum Atticae statum descripturus ita exponere exorditur, ut contendat ruri vivere Athenienses antiquitus magis, quam alios populos consuesse. Iam Cecropis temporibus illos totam Atticam incoluisse singulis civitatibus. *κατὰ πόλεις*, ait scriptor, *ᾠκεῖτο ἡ Ἀττικὴ πρυτανεῖά τε ἔχουσα καὶ ἄρχοντας.* *πόλις* hic est universitas hominum, qui urbem

1) II. 13: *τὰ ἐκ τῶν ἀγρῶν ἐςκομίζεσθαι.*

2) II. 14: *χαλεπῶς δὲ αὐτοῖς διὰ τὸ ἀεὶ εἰωθέναι τοὺς πολλοὺς ἐν τοῖς ἀγροῖς διαιτᾶσθαι ἡ ἀνάστασις ἐγίγνετο.*

3) II. 15: *ξυνεβεβήκει δὲ ἀπὸ τοῦ πάνυ ἀρχαίου ἑτέρων μᾶλλον Ἀθηναίοις τοῦτο.*

4) quod argumentum manifestum luceque clarius me excitat ad emendandum hunc locum Thucydidis depravatum, de quo multa scripta sunt. v. excurs.

quandam incolunt, non urbs ipsa, ubi habitatur, ita ut vertere possimus: bürgerliche Gemeinschaft, secuti Arnoldum, qui explicat: „the country was inhabited by a number of independent civil societies". Licebit mihi, hoc loco discrimen inter *πόλις* et *κώμη* exstans ita demonstrare, ut recte mihi a Kuhnio [1]) expositum videtur. Antiquissimis enim temporibus aetate heroica nomen *πόλις* inditum est cuilibet civitati, nec magnitudine nec potentia neque administratione respectis. Aliae vero civitatis cuiusdam significationes tum demum exortae sunt, cum pars quaedam locorum ab initio *πόλις* appellatorum tali modo mutata est, qui eos aliis initio paribus primus opponeret ideoque veram oppositionem civitatum antea pariter nominatarum efficeret. Iamque Thucydidis temporibus *κῶμαι* similiterque *δῆμοι* — ut K. demonstrare studet — intellegebantur eiusmodi civitates, quae in rebus publicis inter se coniunctae, nihilominus diversis locis separatae exstarent; at *πόλις* erat haec ipsa urbs, cui aliae in rebus publicis adiunctae et quasi incorporatae erant, denique, qua ceterae civitates ab urbibus (*πόλεσι*) hac ipsamet re ad vicos (*κώμας*) depressae utebantur metropoli. Iam ut ad Thucydidem redeamus verbum *οἰκεῖν* hoc loco non solum habitandi vel incolendi, verum etiam administrandi notionem comprehendit; nam ita explanatum illud optime accommodatur ad definitionem verbi *πόλις*, quam supra exposuimus. Praeterea autem hanc interpretationem poscunt ea, quae sequuntur. Namque statum rerum atticarum, cuiusmodi post Theseum fuerit, a Th. opponi ei, qui ante illum fuerat, manifestum est; nihilominus autem etiam post Theseum usque ad Periclis aetatem incolas Atticae per totam regionem dispersos habitasse scriptor narrat, qua re efficitur, ut Th. temporis et ante Theseum et postea oppositionem non tam in modo vivendi vel habitandi, quam administrandi fuisse confirmet. Qua cum interpretatione cohaeret quaestio, utrum *ἔχουσα* ab omnibus codicibus tradita retinenda sit, an mutanda potius in *ἐχούσας*, quod Hieronymus Müller et Bloomfield commendant. Equidem hoc a Th. scriptum esse puto; nam primum quidem lanquidissime fluere sermonem contenderim ac nimis dubie locutum esse Th., si *ἔχουσα* eum scripsisse statuamus; neque enim Attica, sed singulae civitates prytaneis utuntur atque magistratibus, ita ut concisius postea Th. narret *καταλύσας τῶν ἄλλων πόλεων τά τε βουλευτήρια καὶ τὰς ἀρχάς*. Quin etiam in hac ipsa re proprium insignissimumque positum est discrimen inter prius tempus et id, quod Thesei regnum subsequebatur, quamobrem non est verisimile, Thucydidem istud discrimen demonstraturum scripsisse tam generaliter: „Attica, quae prytaneos et magistratus habebat, oppidis incolebatur." Multo vero elegantius sententiarum ordinem exprimit illud *ἐχούσας* ad *πόλεις* referendum: „Attica administrabatur in diversis civitatibus, quae suum quaeque prytaneum suosque magistratus habebant." Nam cum ratione consentit, id quod proprium est alicuius rei ad acuendam oppositionem huic rei vere attribui. Id Kruegero quoque probatum est, qui quamquam verba *πρυτανεῖά τε ἔχουσα καὶ ἄρχοντας* aliquo modo ad *κατὰ πόλεις* referenda esse intellexit, tamen lectionem in codicibus exstantem mutare noluit, sed monet, *κατὰ πόλεις* cum *ἔχουσα* esse conjungendum, quod si fiat, fere idem efficiatur ac si quis *ἐχούσας* scribendum esse velit. Sed quem fugerit, si Kruegero assentiamur, collocationem verborum esse talem, qualem a Th. adhibitam esse nobis persuaderi nequeat? Nam primum quidem verba ita sunt collocata, ut *κατὰ πόλεις* nisi cum *ᾠκεῖτο* conjungi non possit, deinde — ut hoc fieri posse concedamus — *ᾠκεῖτο* desideret aliquod additamentum, quoniam Th. non est narraturus, omnino administratam esse Atticam, sed quomodo sit administrata explicaturus. Itaque Kruegeri quoque explicationem repudiare coacti cum alio modo hunc locum satis accurate interpretari nequeamus, lubenter illam

1) „Ueber die Entstehung der Städte der Alten."

coniecturam *ἐχούσας*, quae elegantissime cum sententia scriptoris congruere videatur, accipiemus.

Ante Theseum igitur urbes Atticae narrat Th. suum quamque prytaneum suosque magistratus habuisse, qua re intellegimus, ante Theseum liberas fuisse illas urbes, quod confirmatur iis, quae sequuntur: *αὐτοὶ ἕκαστοι ἐπολιτεύοντο καὶ ἐβουλεύοντο. Πολιτεύω* est *πολίτην εἶναι*, civem esse, ergo medium *πολιτεύεσθαι* notionem praebet „sibi civem esse, in seinem Interesse Bürger sein, i. e. iura publica coercere, quae homini cuidam tamquam civi rei publicae debentur.“ Iam vero praecipuum ius est societas rei publicae administrandae, quamobrem *οἱ πολιτευόμενοι* ii ipsi sunt intellegendi, qui rem publicam regunt atque gubernant. Itaque cum Th. singulas societates suas quamque res publicas administrasse dicat, cum in unaquaque civitate proprium fuisse prytaneum antea protulerit iamque addat *αὐτοὶ ἕκαστοι ἐβουλεύοντο* i. e. separatim deliberaturi conveniebant — veteribus temporibus nimirum in prytaneo —: iam eo quidem apparet singulas civitates liberas et sui iuris fuisse, sed Th. docet, illas suis quamque magistratibus usas esse. Et his quidem quod nomen fuerit, quamquam a Th. non discimus, regium tamen nomen non fuisse, ex eo potest coniectari, quod his magistratibus opponit unum regem Athenarum, ad quem *ὁπότε μή τι δείσειαν, οὐ ξυνῄεσαν βουλευσόμενοι*. Atque haec quidem ipsa verba demonstrant, illos magistratus reapse et veritate *ἄρχοντας* i. e. principes civitatis *ἀρχήν* possidentes fuisse, cum nisi angustiis pressi ad regem non convenirent. Ceterum aliquam tamen coniunctionem fuisse inter regem et urbes illas liberas iisdem verbis, quae modo protuli, apparet. Sed coniunctio non erat domini et subiectorum, sed societas iure aequo et pari fundata, quae regi Athenarum nihil nisi periculosis temporibus imperium militare concedebat contra hostes externos. Interdum autem illos inter se conflictatos esse Th. docet, cum nos commoneat belli ab Eumolpo Eleusiniorum rege contra Erechtheum gesti.

Ita vero res athenienses institutae erant, cum Theseus rex factus est. Is, qui non modo prudentia ac ratione, sed etiam potentia opibusque praeditus et instructus erat, cum diversas curias prytaneaque dissolvisset, una curia et uno prytaneo institutis, talem et omnium Atticae incolarum et urbis, quae postea Athenae appellabantur, condicionem effecit, qualem scriptor his verbis describat: *ξυνῴκισε πάντας εἰς τὴν νῦν πόλιν οὖσαν*. Iam quaeritur, quid apud Th. sibi velit *ξυνοικίζειν*. Mea quidem sententia satis apertum et illuminatum est verbis his appositis: *καὶ νεμομένους τὰ ἑαυτῶν ἑκάστους ἅπερ καὶ πρὸ τοῦ ἠνάγκασε μιᾷ πόλει ταύτῃ χρῆσθαι*. Ac primum nimirum quid *νέμεσθαι* sibi velit statuendum erit; etenim duabus usurpatur significationibus, quae scilicet apte inter se cohaerent, et possidendi et incolendi; atque haec quidem quae latius patet, significatio, cum praeferenda mihi videatur, hoc esse loci argumentum arbitror: „ut ante Thesei congregationem, sic postea quoque cives sc. plerique — ad quam tamen rem infra redibimns — in agris habitabant eadem atque antea possidentes.“ Quod aliter fieri omnino nequibat; nam incredibile inauditumque esse iudicabimus, Atticae, terrae illius plus quam quadraginta milliaria quadrata geographica, quae appellantur, continentis agros de uno loco quamvis opportuno esse cultos. Et re vera usque ad id temporis spatium, quo Th. scripsit, permulti Atticae incolae ruri degere consuerant; nam ut ea repetam, quae iam supra exposuimus, Atticorum ex agris in urbem migratio ipsa est causa, cur Th. hunc de Thesei synoecismo excursum interposuerit. Atque porro videamus, quo spectent verba *μιᾷ πόλει ταύτῃ χρῆσθαι*. *Χρῆσθαι* hic, ut saepius, coniunctum est cum duplici dativo et obiecti, et praedicati, quae vocant. Obiectum enim est *ταύτῃ*, quod referas ad ea, quae antecedunt: *ἐς τὴν νῦν πόλιν οὖσαν*, verum

*μιᾷ πόλει* dativus est praedicati. Sane non vulgari ratione, sed ita collocata sunt verba, ut praedicati dativus praecipue urgeatur, quippe cum verbis *ταύτῃ χρῆσθαι* tamquam propria Th. addat *μιᾷ πόλει*. Ruri igitur incolis atticis licebat habitare, sed Athenas coacti erant accipere ut *πόλιν*, sive ut scholiastam recte explicantem sequamur, *μητρόπολιν*. Iamque intellegemus, quam vim habeat illud *ξυνοικίζειν*, quod a Cicerone falso videtur perceptum esse, ut qui ad nostrum utique locum spectans haec proferat: Theseus Atticos demigrare ex agris et in astu, quod appellatur, omnes se conferre iussit. At melius scholiasta Thucydidis verba percipit et explicat, cum ad *ξυνοικίζειν* adnotet: *τὸ ξυνῴκισεν οὐκ ἔστιν ἐπὶ τοῦ ὁμοῦ ξυνοικισθῆναι ἐποίησεν, ἀλλ᾽ ἐπὶ τοῦ μίαν πόλιν, τοῦτ᾽ ἐστι μητρόπολιν ἔχειν αὐτήν.* Contribuit igitur Theseus omnes Atticae incolae in unam urbem, et id quidem ea ratione ut Athenae essent caput terrae sedesque omnium magistratuum, unde ius et auxilium peterent. Unusquisque, quatenus scilicet liber erat, civis atheniensis erat, etiamsi Athenis non habitabat; iura poterat exercere, quae civitas ei concedebat, sed officia quoque praestare debebat, velut tributa solvere, omnino legibus urbis obstrictus erat. Quocirca, ut nostra lingua utamur, statuendum erit: „Nach der Darstellung des Thucydides ist der Synoecismus des Theseus eine politische Concentration von ganz Attica in die Stadt Athen. Er ist eine politische, nicht eine locale Vereinigung."

Idem valet, ut alteram proferam exemplum, de illa congregatione in Lesbo insula facta, quam Th. describit III, 22, ubi similiter dicit: *ξυνοικίζουσι τὴν Λέσβον ἐς τὴν Μυτιλήνην βίᾳ*, quae verba pro magnitudine insulae certe ita interpretari non possumus, ut omnes incolas in urbem transmigrare coactos esse contendamus. Duo illi loci Thucydidei a posteris commentatoribus falso intellecti sunt, primum cum scholiasta ad Thuc. III. 2, 3 adnotet: *ἄκοντας τοὺς Λεσβίους ἀναγκάζουσιν ἐς τὴν Μυτιλήνην μετοικῆσαι· ἐβούλοντο γὰρ ἐκ μιᾶς πόλεως ὁρμώμενοι πολεμεῖν*, deinde cum schol. ad Arist. Panath. p. 31. 27 (Dindorf) Thesei synoecismum his verbis describat: *λέγει οὗτος [Θουκυδίδης] ὅτι πρὸ τοῦ Θησέως τὸ περὶ τὴν ἀκρόπολιν μέρος μόνον πόλις. οὗτος δὲ γενόμενος καὶ αὐξήσας τὸν περίβολον ἠνάγκασε τοὺς κατὰ κώμας οἰκοῦντας ἐς τὰς Ἀθήνας ἐμβῆναι καὶ οὕτως ᾠκίστη πᾶσα ἡ πόλις.*

Itaque, si quidem horum scholiastarum sententias absonas esse credimus, hoc apparere videtur, duobus locis, quos supra protulimus, Thucydidem non de urbana congregatione loqui, quamquam concedendum est, principalem significationem verbi *ξυνοικίζειν* re vera loci mutationem exhibere et a Thucydide ipso usurpari, velut II. 10, 2, ubi Spartae status sic describitur: *οὔτε ξυνοικισθείσης πόλεως οὔτε ἱεροῖς καὶ κατασκευαῖς πολυτελέσι χρησαμένης, κατὰ κώμας δὲ τῷ παλαιῷ τῆς Ἑλλάδος τρόπῳ οἰκισθείσης.* Eleorum quoque synoecismus apud Diod. XI. 54 ea, quam modo protuli, ratione interpretandus videtur.[1])

At hoc loco Th. *ξυνοικίζειν* ea notione usurpat, ut administrandas tantum res publicas respiciat.

Quae cum ita sint, haec verbi *ξυνοικίζειν* explicatio ne eo quidem potest refutari ac delui, quod scriptor postea tradit, urbem a Theseo maiorem factam posteris relictam esse.[2]) Nimirum urbs aucta est *ἁπάντων ἤδη ξυντελούντων ἐς αὐτήν.* De *ξυντελεῖν* significatione quamquam viri docti varia protulerunt, non opus erit singulas sententias inquirere, sed eam quidem proferre sufficiat, quae mihi probanda videtur. Cum enim *τελεῖν* vim habeat perficiendi sive praestandi, verba *ξυντελεῖν ἐς πόλιν* de iis dicenda erunt, qui aliquid omnibus civibus commune

1) cf. Kuhn. p. 22 et 23.

2) *ἡ ἁπάντων ἤδη ξυντελούντων ἐς αὐτὴν μεγάλη γενομένη παρεδόθη ὑπὸ Θησέως τοῖς ἔπειτα.*

urbi praestant. Quid hoc sit, haud difficile est dictu, si quidem id praecipue respiciendum est, quo neglecto res publica stare non potest, scilicet tributum omnesque alii modi solvendi pecuniam. Quo fit, ut ξυντελεῖν, cum primitus tributi pendendi notionem habeat, postea omnino significet: „rei publicae civem esse contributum.“ Itaque sic fere Thucydidis locum interpretandum esse puto: „urbs Theseo vivo magis magisque increvit, cum omnes Atticae incolae in eam contributi essent et ut cives tributa aliasque publicas pecunias conferrent; nam opes divitiaeque sunt quasi fundamentum, in quo potentia et auctoritas cuiusvis civitatis posita sunt. Sane et alias causas credimus effecisse, ut Athenae tam celeriter expanderentur, cum ita quoque nimirum verba μεγάλη γενομένη sint intellegenda. Neque enim a vero aberrabimus statuentes, quamquam plurimi incolae ruri remanebant, tamen cives non ita paucos in urbem se contulisse, et contulisse non solum nobiles, sed etiam humili loco natos. Sane nobiles atque primores, penes quos erant sacerdotia in singulis civitatibus, a quibus res publicae administrabantur magistratusque gerebantur, initio Theseo consilia sua executuro fortiter repugnasse verisimile est, et invitos eos concessisse, ut suae civitates sui iuris esse desinerent, lubenter credimus Thucydidi[1]) verbum ἠνάγκαζε usurpanti; sed Theseus γενόμενος μετὰ τοῦ ξυνετοῦ καὶ δυνατός resistentes superavit, et quamvis inviti initio plurimi sedes mutarent, postea multa nobilium genera, administratione rei publicae omnibusque publicis aedificiis Athenas translatis, lubenter eodem migravisse manifestum est, cum sperarent, non minus in nova civitate reipublicae administrandae magistratuumque gerendorum se fore participes. Sed multos alios quoque aliis causis commotos Athenas se contulisse suspicari possumus. Permultos arbitror inprimis securitatis causa agros cum munita urbe commutasse; nam intra muros facilius ab hostibus aggredientibus se defendere, mercaturam facere, opes partas tueri poterant procerumque arbitrio minus expositi erant; arx enim profecto erat quasi naturale quoddam refugium. Praeter hos autem, quos metus, ut in urbem migrarent commovebat, multos opifices quoque, fabros, mercenarios fortunae experiendae causa in urbem confluxisse quis est qui neget? Denique facile intellegemus Athenas, postquam quasi centrum totius terrae factum est, brevi tempore ad florentem illam magnamque urbem increvisse, quam Theseus posteris tradidit.

Iam Thucydides, postquam synoecismum Thesei descripsit, memoriae prodit, Athenienses ex illo tempore in honorem deae (sc. Athenae) Synoecia dies festos celebravisse. Ante synoecismum urbem fuisse acropolin et eas partes, quae praecipue meridiem spectarent; ad quam opinionem fulciendam scriptor profert tria argumenta: ac primum quidem ibi vetustissima sacra exstructa inveniri, deinde ab acropoli ad meridiem versus unum esse dulcis aquae fontem in Athenarum finibus urbanis, denique acropolin usque ad suae aetatis spatium saepissime polin appellari.

Haec est Thucydidis narratio, qua historiam Atticae satis obscuram inprimis illustrari atque explanari omnes fortasse literati concedunt. Nihilo minus a Curtio Wachsmuthio[2]), viro doctissimo, quem nostris temporibus explorandae urbis Athenarum historiae maximam dedisse operam puto, Thucydidis fides in dubium vocata atque minuta est. Neque hoc quidem merito mea sententia.

Itaque altero capite exponere conabor Wachsmuthium traditionis Thucydideae aliquos locos falso intellegere, quo fit, ut huius viri docti descriptionem veterrimae historiae urbanae non plane veram esse atque emendatam iudicandum putem.

---

1) Quem confirmat Plutarch. Thes. 24.

2) „Die Stadt Athen im Altertum.“

## Cap. II.

Wachsmuthii libri, quem modo protuli, quarta pars, quae „Stadtgeschichte“ inscribitur, initio exhibet iudicium descriptionis Thucydideae, qua iudicata vir ille doctus sibi persuasit, in Thucydidis explicatione non traditionem ex veteribus temporibus conservatam contineri, quae iam Thucydidis auctoritate confirmetur, sed opinionem huius scriptoris, quam ipse critica ratione demonstrare conetur, id quod colligi possit ex verbis *τεκμήριον δὲ* [1]). Wachsmuth igitur arbitratur totum caput XV opinionem Thucydidis esse, non argumentum antiquitus traditum. Atqui alio loco libri sui [2]) W. dicit: „so stimmen die einzelnen Züge der Tradition, wie sie bei Thucydides vorliegt, nicht zu einander.“ Sed haec verba minoris esse momenti videntur, nam magis inclinat animus, ut arbitrer, vituperandam hoc loco dictionem non satis accuratam, quam Wachsmuthium opinionem ei, quam antea pronuntiavit, prorsus contrariam proferre. Omnino autem totam argumentationem huius viri docti non esse verisimilem opinor. Sane ex verbis *τεκμήριον δὲ* cognoscimus opinionem argumentis fulciendam nobis propositam esse. Quae tamen sit opinio, optime profecto colligi posse arbitror ex causis, quae ad fulciendam sententiam proferuntur. Et proferri tres causas iam supra dictum est: ac primum quidem et in arce et in iis partibus urbis, quae imprimis meridiem spectant, vetustissima esse sacra ibique esse fontem dulcis aquae Callirhoen, denique acropolin antiquitus usque ad Thucydidis tempora *κατ᾽ ἐξοχὴν* polin nominatam esse. Atqui tribus illis causis haud dubiis neque incertis luce clarius est nihil probari nisi quod Thucydides his verbis exprimit: *τὸ δὲ πρὸ τούτου ἡ ἀκρόπολις ἡ νῦν οὖσα πόλις ἦν, καὶ τὸ ὑπ᾽ αὐτὴν πρὸς νότον μάλιστα τετραμμένον.* Haec est opinio Thucydidis causis confirmata, sed initio capitis usque ad verba *ἑορτὴν δημοτελῆ ποιοῦσι*, quibus synoecismus describitur, non opinio exstat, sed traditio quamvis critice iudicata, ut postea videbimus.

Sed causarum quoque istarum, quas Th. ad opinionem fulciendam in medium protulit, duas quidem W. impugnat ac reprehendit. Quod cum faciat vir ille doctissimus, quamquam tertiam causam non modo non improbat, sed gravissimam iudicat, imprimis primae isti causae occurrit. Jam ea quae contra dicuntur consideranti credendum est, Wachsmuthium ratiocinari praeter acropolin urbis regionem praecipue ad meridiem spectantem non esse partem vetustissimam. At W. non ita ratiocinatur, sed postquam Thucydidis de acropoli antiquissima urbis parte iudicium situ sacrorum vetustissimorum prorsus demonstrari ac probari concessit, sic explicat: „Gilt aber dasselbe auch für die südlich der Burg gelegenen?“ Numquid hoc dicit Thucydides? Minime vero et Wachsmuth ipse sibi respondet, quippe cum paulo post interpretetur dicere Thucydidem regionem praecipue ad meridiem spectantem et demonstrare suam sententiam eo, quod vetusta sacra magis (*μᾶλλον*) in hanc regionem versus sita esse proferat.“ „Thucydides kannte also andere, nicht minder alte, die in anderen Teilen der Stadt lagen, nur minder zahlreiche,“ colligit Wachsmuth. Sane hoc concedemus; quod tamen cum faciamus, numquid infringitur Thucydidis sententia, ibi vetustissimam esse urbis partem, ubi pleraque inveniuntur sacra vetera? Nonne verisimile est, fuisse nonnulla quidem sacra quamvis pauca extra loca primum inhabitata, cum praesertim nobis sint respicienda nulla alia nisi proxime aedificata et in finibus posterioris urbis Athenarum sita?

Sed iam videamus quaenam vere sit Wachsmuthii sententia. Qui cum doceat: [3]) „Genügen diese Gründe, die Thucydides anführt, für die Folgerung, die er zieht?“ quamvis

1) p. 384.
2) p. 456.
3) p. 314.

nobis persuasurus videatur, ut credamus, urbem ab acropoli praecipue ad meridiem spectantem non esse vetustissimam urbis partem, tamen non multo post Wachsmuthium quoque aliter iudicare docemur.

Nam hic vir doctissimus, postquam [1]) Athenienses in finibus urbanis antiquitus diversis ac separatis locis habitavisse mea quidem sententia sic probavit, ut omnibus profecto persuadeatur, sub finem explicationis [2]) repente nos docet, Thucydidis de veterrimis Atticae rebus sententiam, quamquam cum Wachsmuthii opinione non consentiat, tamen ne contrariam quidem esse. „Denn (ait W.) wir haben ja wirklich neben der Burg eine Bewohnung der Stätten nördlich und südlich der Kallirhoe anzunehmen".

Iam sequitur, ut pauca addam de illo, quod W. paulo post scriptori nostro exprobrat, cum dicat: [3]) „vor allem aber geht bei diesen Betrachtungen Thucydides von der Grundanschauung aus, daß Athen von Anfang an eine einheitliche Stadt gebildet habe " Defendendus enim mihi videtur Thucydides, quasi vero hic perversam istam sententiam sibi suppositam vere pronuntiet. Neque enim quidquam de hac re profert, nisi quod opinatur, priore tempore Atticos habitavisse *κατὰ πόλεις*, quas intellegendas esse docet Th. civitates *πρυτανεῖά τε καὶ ἄρχοντας* habentes, ita ut Kuhn recte exponere mihi videatur, cum aequaliter iura publica ab iis exercita esse contendat. [4]) Hae *πόλεις* cum per totam Atticam dispersae ac dissipatae essent, una exstructa erat eo loco, quo postea urbs Athenae sitae erant. Nam ex eo, quod Th. non tradit, istam urbem in regione Athenarum, quae postea erant, sitam diversis nationibus congregatis atque contractis exortam esse, nullo modo, opinor, effici et colligi potest, ut ea sit Thucydidis sententia, illam urbem antiquitus fuisse unam neque unquam separatam. Unaquaeque nimirum urbs, id quod W. ipse recte explicat, orditur synoecismo quodam. Complures enim gentes initio habitabant separatae neque ullo vinculo iunctae; sed homo *ζῶον πολιτικόν*, ut ait Aristoteles, mox cum vicino ad societatem quandam coibat sive naturali quadam hominum quasi congregatione, sive maioris securitatis studio compulsus; denique colonias separatas in Athenarum urbis regione aliquando urbano synoecismo coisse et unam ex illis urbibus factam esse, quae postea altero illo synoecismo ad res publicas pertinente contractae sunt, nemo fortasse infitiabitur.

Iure W. inter urbanum illum synoecismum et hunc ad res publicas pertinentem posteriore tempore factum satis magnum interesse temporis spatium arbitratur. Quo concesso nihilomagis intellego, quo iure W. his rebus, quas vere factas esse nemo diffitebitur, ita utatur, ut aggrediatur Thucydidem, quamquam is de urbana contractione prorsus tacet et de ista tantum urbe, quae postea eo ipso loco exstructa erat, fusius loquitur.

Iamque, ut rem porro tractemus, veniendum est ad singula, quae W. in describendo synoecismo minus dilucide videtur disseruisse. Nam etiamsi in iis quae antecedunt, generaliter Wachsmuthio concessimus, verum discrimen esse inter priorem synoecismum urbanum et posteriorem contractionem ad res publicas spectantem, tamen singula persequens nonnullis argumentationibus me assentiri non posse fateor.

Wachsmuth enim postquam discrimen esse inter istos synoecismos contendit simulque haud ita parvum temporis spatium praeterisse ab urbana contractione usque ad alteram affir-

---

1) p. 387--445.
2) p. 446.
3) p. 385.
4) p. 189.

mavit, confestim dicit „demorum antea separatorum ad communem polin congregationem simul factam esse mutationem iurum et civilium et publicarum; nam antea singulas civitates suo quamque regi oboedivisse, postea communem dominatum esse regem.“ Statim quaeremus, quosnam demos W. spectet, utrum eos, qui in posterioris urbis regione urbano synoecismo contracti erant, an totius Atticae demos, qui postea in unius reipublicae formam redacti erant. Si illud accipi velit W.[1]), opinio eius sit haec „in urbana regione Athenarum complures reges simul regnasse et postea unum regem urbis Athenarum fuisse. Quo concesso quando in unam rempublicam contracta sit Attica W. silentio praeterisse dico. Atqui in posterioribus libri sui partibus W. de Thesei synoecismo tamquam de Atticae congregatione agit et id quidem ea ratione, quasi vero in iis, quae antecedunt, satis pertractata sit. Itaque hoc loco aut lacuna exstat argumentationis, aut, — quod mihi quidem videtur verisimilius, — Wachsmuth, cum opinionem suam demonstrare studeret, non satis accurate ac diligenter hanc rem pertractavit.

Iam dicendum erit de iis, quae reperiuntur in p. 456: „während der Gesammtcharakter des Synoecismus, wie ihn Th. darstellt, seiner absoluten Benennung in ihrem eigentlichen und naturgemäßesten Verstande nicht wohl entspricht, so kommen mit dieser die zuletzt angeführten Daten vortrefflich überein.“ Respicit enim W. mutationes urbanas, quas totius Atticae illa contractione perfecta accidisse tradit Th. Repudiatis igitur iis, quae Th. tradit, opinatur W., quod Athenae in alias quoque partes atque in meridem, ergo ea ratione auctae sunt, ut acropolis paulatim quasi centrum quoddam urbis factum sit, non effectum esse tota Attica a Theseo contracta, sed urbano, qui iam antea accidisset, synoecismo. Atqui mea quidem sententia hoc loco nobis non licet hanc opinionem viri docti quamvis sagacem gravi testimonio ex antiquis temporibus conservato praeferre, cum praesertim variae causae, ut Thucydidem sequamur, nos cogant. Iam supra enim (Cap. I) Thucydidis verba interpretans exposuisse mihi videor, naturam tulisse, ut ipsamet hac Atticae in unam civitatem contractione Athenae in dies magis augerentur et opibus, auctoritate, potentia crescerent.

Sed W. Thucydidis de auctis Athenis descriptione reiecta ac repudiata nimirum coactus est in reprehendendo Thucydide ultra procedere. Sic enim pergit exponere: „Der der Synoekienfeier zu Grunde liegende Synoecismus ist verschieden von der staatlichen Einigung Attica's, die in den Panathenaen gefeiert wurde.“ Atqui Synoeciorum celebratio, id quod W. ipse contendit, imprimis ac plane certa est. Agebantur enim Thucydidis temporibus Synoecia in memoriam Atticae contractionis.[2]) Neque dubium est, quin Th., si Panathenaeorum celebratio cum Atticae in unam civitatem contractione cohaereret, hoc prolaturus fuerit; nam hic illa conclusio ex silentio, quae supra[3]) repudianda mihi videbatur, mea sententia omnino valet neque profecto infringi potest, cum dies festi, in quibus agendis Athenienses pristina stricte observantes perseveraverint ac sibi constiterint, normam regulamque satis certam praebeant, qua iudicemus. Quae vis ac significatio esset alicuius sacri, haud facile effugere poterat Athenienses, qua de causa iure, opinor, nobis licet arbitrari, Thucydidem, si Panathenaea fuissent respicienda, respecturum fuisse. Atqui

1) et profecto id colligi videtur posse ex verbis his brevi post exstantibus p. 458: die für die Stadtgeschichte wichtigste Folge eines Synoecismos, das heißt die Machtzusammenfassung, welche an dem zur Beherrschung des attischen Pediums günstigst gelegenen Punkte eintrat, und so die spätere Entwicklung Athens zur Centralstadt Atticas im Keim in sich trug.

2) Thuc. II. 15: *καὶ ξυνοίκια ἐξ ἐκείνου Ἀθηναῖοι ἔτι καὶ νῦν τῇ θεῷ ἑορτὴν δημοτελῆ ποιοῦσι.*

3) p. 10.

auctor nihil in medium profert nisi Synoecia et ea quidem celebrata in memoriam illius synoecismi, cuius naturam Thucydidem secuti iam supra satis cognovimus. Itaque W. cum neget Synoecia esse celebrata in memoriam Atticae contractionis, Thucydidis descriptionem reicit; sed ultra progressus etiam nomine illorum dierum festorum reprobato nomen *μετοίκια* apud Plutarchum exstans praefert.

Quam sententiam refutaturo, duae imprimis res respiciendae mihi videntur; ac primum quidem quaeritur, num aequum sit Plutarchi traditionem hoc loco praeferre, deinde, num re vera tantum discrimen, quantum esse plerique credunt viri docti, inter duo nomina illius celebrationis intersit.

Atque illud, quod modo proposui consideranti non dubium esse mihi videtur, quin Plutarchus in scribendo opere Thucydidem compilaverit, sive hunc ipsum exscripsit, sive alium quicunque a Thucydide pendet, velut Ephorum, quem multis locis Thucydidem excerpsisse satis constat. Iamque cum hac in re insignissima ratione Plutarchus et Thucydides consentiant, licebit mihi duorum verba componere ac comparare.

| Thuc. II. 15. | Plut. Thes. 24. |
| --- | --- |
| *Καταλύσας τῶν ἄλλων πόλεων τά τε βουλευτήρια καὶ τὰς ἀρχὰς ἐς τὴν νῦν πόλιν οὖσαν, ἓν βουλευτήριον, ἀποδείξας καὶ πρυτανεῖον, ξυνῴκισε πάντας . . . καὶ ξυνοίκια ἐξ ἐκείνου Ἀθηναῖοι ἔτι καὶ νῦν . . . ἑορτὴν . . . ποιοῦσι.* | *Καταλύσας οὖν τὰ παρ᾽ ἑκάστους πρυτανεῖα καὶ βουλευτήρια καὶ ἀρχάς, ἓν δὲ ποιήσας ἅπασι κοινὸν ἐνταῦθα πρυτανεῖον καὶ βουλευτήριον ὅπου νῦν ἵδρυται τὸ ἄστυ τήν τε πόλιν Ἀθήνας προσηγόρευσε . . . ἔθυσε δὲ καὶ μετοίκια . . . ἣν ἔτι νῦν θύουσι.* |

Quare dubitari posse non videtur, quin Plutarchus in describendo Thesei synoecismo vel Thucydidem secutus sit vel aliquempiam a Thucydide pendentem, velut, ut iam supra coniecimus, Ephorum. Quam parvi igitur aestimanda est lectio *μετοίκια* respicienti *συνοίκια* in omnibus codicibus Thucydidis exstans. Nam minoris, opinor, momenti est, scholiastam quendam[1]) lectionem *συνοικέσια* a lectione, quae est *συνοίκια*, parum diversam exhibere.

Quae cum ita sint, verum et principale nomen illorum dierum festorum puto fuisse *συνοίκια*. Sed Plutarchum, cum tradat nomen celebrationis fuisse *μετοίκια*, hanc significationem ementitum esse non credemus, sed verisimile esse iudicabimus, illius aetate hos dies festos re vera *μετοίκια* nominatos esse. At Wachsmuthio, qui idcirco, quia posteriore tempore, velut Plutarcho vivo vera natura Thesei synoecismi ad res publicas pertinens iam non percepta, sed ille synoecismus putatus esset urbana congregatio, nomen *μετοίκια* ut aptius praeferendum esse opinatur[2]) ideoque hoc esse verum nomen iudicat, nullo modo assentiri possum, sed duo nomina aliter coniungenda esse arbitror.

1) ad. Arist. pac. 1019: *φασὶ γὰρ τῇ τῶν σονοικεσίων ἑορτῇ θυσίαν τελεῖσθαι εἰρήνῃ.* deinde ad. v. 1020: *ἐν γὰρ τῇ τῶν Συνοικεσίων ἑορτῇ οἱ μέν φασιν Εἰρήνῃ θυσιαν τελεῖσθαι, ἧς ὁ βωμὸς οὐχ αἱματοῦται.* — Lectio *συνοίκια* apud Steph. Byz. quoque invenitur, qui Characem sequitur, cum sub voce *Ἀθῆναι* adnotet: *ἣ ἐν Ἀττικῇ, περὶ ἧς φησι Χάραξ, ὅτι ὁ Θησεὺς τὰς ἕνδεκα πόλεις τὰς ἐν τῇ Ἀττικῇ συνοικίσας εἰς Ἀθήνας συνοίκια ἑορτὴν κατεστήσατο.*

2) nam aliter atque ita verba in p. 459 exstantia simul cum iis, quae in p. 459 scripta sunt, intellegi non possunt.

Wachsmuth enim sententiam suam demonstraturus proficiscitur ab opinione saepissime defensa, *μετοίκια* evidentius quam *συνοίκια* significare alicuius sedis ac domicilii cum alia sede commutationem, neque dubium est, quin Thucydidis temporibus praepositio *μετά* multis locis ita usurpetur, ut commutandi vis insit; minime vero sola haec significatio continetur.[1])

Principalis vis praepositionis sive adverbii *μετά* est nostrum: inzwischen, zusammen, mit, darunter", latinum „inter", cuius significationis exempla haud raro in carminibus Homeri inveniuntur, velut

Od. 4, 17: *μετὰ δέ σφιν ἐμέλπετο θεῖος ἀοιδός.*

vel Il. 15, 118: *κεῖσθαι ὁμοῦ νεκύεσσι μεθ' αἵματι καὶ κονίῃσι.*

deinde in verbis compositis, velut

Od. 13, 46: *κακὸν μεταδήμιον*

Od. 15, 251: *ἵν' ἀθανάτοισι μετείη.*

Praeter hanc autem notionem in carminibus Homeri invenitur significatio „nach", cuius extempla afferre haud opus esse videtur. At mutandi notio exemplis ex Homeri carminibus depromptis demonstrari non potest; nam in verbo *μεταστρέφειν* commutandi vim in *στρέφειν*, non in *μετά* contineri manifestum est. Accedit, ut illud *μετατίθημι*, quod commutationen exprimere fortasse credas, uno illo loco[2]), quo quidem exstat, nihil significet nisi „dazwischen setzen, darunter setzen." Itaque hoc imprimis statuendum videtur, Homerum *μετά* in commutandi notione non usurpare. Quae tamen significatio posteriore tempore miro modo exorta est, et exorta est utique ex primaria significatione: „nach". Quod qui factum sit, coniectare, hic videtur alienum esse.

Iamiam hoc manifestum est, si apud Homerum exstaret illud *μετοίκια*, nos Metoecia explicaturos esse dies festos in honorem congregationis, non commutationis domiciliorum celebratos. Quod tamen cum minoris sit momenti, porro quaeritur, num illo tempore quo *μετά* commutandi notionem saepius exhibere luce clarius est, et eo quidem optimo, qui vocatur, Attico, *μετά* cum aliis verbis, imprimis *οἰκεῖν*, *οἰκία*, *οἰκίζειν* compositum s e m p e r significationem mutandi exhibeat.

Initio statim rem aliter se habere contendo demonstraturus verba *μέτοικος*, *μετοικία*, *μετοικεῖν* commutandi notionem multis locis habere non posse, aliis locis, ut plane intellegantur, habere non oportere.

Praemitto autem, quid iudicandum esse mihi videatur de illa incolarum Atticae classe, quam metoecos vocant. Inter omnes constat, metoecos neque cives sui iuris fuisse, neque servos glebae adstrictos, sed pro summa pecuniae certa ac definita, quae *μετοίκιον* appellabatur, ut liberos homines in Attica inter cives habitasse neque ullo obstante variis quibusdam artificiis sive mercatura quaestum fecisse. Neque profecto opus est, opinor, arbitrari, metoecis nomen ideo inditum esse, quod patriam cum alia quadam terra, sive, ut de atticis metoecis loquamur, cum Athenis commutaverunt, sed metoeci ii sunt intellegendi, qui in Attica una cum aliis (sc. civibus), sive inter alios cives habitabant. Liceat hic id nomen in medium proferre, quod in nostro populo usque ad recentissima tempora iis indi consueverat, qui quamquam in vicis pagis-

---

1) In iis, quae sequuntur, describendis satis me erudiverunt Tycho Mommsen, Entwicklung einiger Gesetze für den Gebrauch der griechischen Praepositionen *μετά* und *σύν* bei den Epikern. Frankf. Gym. Programm 1874, praeterea Funk in „Curtius, Studien Bd. 9 und 10."

2) Od. 18. 402, ubi nonnulli legunt *μεθέηκε.*

que habitabant, tamen iurum civium vici haud erant participes. Atque his quidem incolis sine suffragio neque in civium numerum adscitis nomen erat „Beisassen" sive „Beisitzer".

Iamiam considerandi erunt ii loci, quibus *μέτοικος* non in singulari, quam modo demonstravimus, notione usurpatum est. Omnibus fere locis *μέτοικος* aptissime ita explicatur, ut significet *οἶκον μετά τινος ἔχων* [1]), velut

Soph. Ant. v. 867:

*πρὸς οὓς ἐγὼ μέτοικος ἔρχομαι.*

Soph. Oed. 934:

*εἰ μὴ μέτοικος τῆςδε τῆς χώρας θέλεις.*

Aesch. Choeph. 971:

*μέτοικος δόμων.*

Aesch. Pers. 319:

*σκληρᾶς μέτοικος γῆς.*

Soph. Oed. rex v. 452:

*ξένος λόγῳ μέτοικος.*

ubi appositum est *ἐγγενής*,

Eurip. Heracl. 1033;

*καὶ σοὶ μὲν εὔνους καὶ πόλει σωτήριος μέτοικος ἀεὶ κείσομαι κατὰ χθονός,*

denique Andoc. *περὶ τῶν μυστηρίων* 144:

*εἰδότα δὲ οἷόν ἐστι ξένον εἶναι καὶ μέτοικον ἐν τῇ τῶν πλησίον.*

In omnibus his exemplis vel dativus vel praepositio *ἐν* confirmant significationem habitandi inter aliquos sive cum aliquo, cum verbum *μέτοικος* commutandi notione usurpatum nullo modo cum praepositione, quae est *ἐν*, coniungi possit.

Similiter res se habet perscrutanti ea verba, quae a voce *μέτοικος* derivata sunt, velut vocem *μετοικία*, quae et eadem notionem habitandi inter alios comprehendit, id quod imprimis apparere videtur Kreontis verbis

Soph. Antig. 890:

*μετοικίας δ'οὖν τῆς ἄνω στερήσεται*

ubi scholiasta adnotat: *τὸ μεθ' ἡμῶν μετοικεῖν.*

Iam ad verbum *μετοικεῖν*, quod a *μέτοικος*, non ab *οἰκεῖν* derivatum esse veri simillimum est [2]), aggredientes facere non possumus, quin concedamus, commutandi notionem in nonnullis locis inesse; sed cum compluribus locis principalem significationem quam statuimus contineri manifestum sit, puto iis quoque locis, in quibus explicandis de commutandi notione cogitari possit, principalem significationem retinendam esse, si modo certae causae non obstent.

Praemitto eos locos, quibus principalem notionem inesse manifestum est, velut

Pind. Pyth. IX. 96:

*Καδμείων μετοικήσεις ἀγυιᾶς*

Aesch. Suppl. 609:

*μετοικεῖν τῆςδε γῆς*

Eur. Suppl. 892:

*τοὺς μετοικοῦντας ξένους*

1) cf. Funk, Stud. Bd. 9 p. 141.

2) cf. Funk, p. 192

Arist. Av. 1319:

*τί γὰρ οὐκ ἔνι ταύτῃ κακὸν ἀνδρὶ μετοικεῖν*

Plat. Menex. p. 237β:

*ἐν τῇ χώρᾳ μετοικεῖν*

Dem. p. 1101. E. *Ἀθήνησι μετοικεῖν.*

Omnibus his locis commutandi notionem non inesse nemo negabit. At non adeo manifesta sunt ea exempla, in quibus *μετοικεῖν* coniunctum est cum praepositione *εἰς*, velut

Plut. Rom.: *αὐτοὺς ἐς Ῥώμην . .*

vel. Paus. 2. 13. 8:

*Τροιζῆνος δὲ οἱ παῖδες . . . μετοικοῦσιν ἐς τὴν Ἀττικὴν*

vel. ib. 6. 22. 5.:

*καλεῖσθαι δὲ τὰς νύμφας ἀπὸ Ἴωνος λέγουσι τοῦ Γαργήττου μετοικήσαντος ἐνταῦθα ἐξ Ἀθηνῶν.*

Sed his quoque locis, opinor, nihil impedit, quominus principalem significationem habitandi cum aliquo retineamas, quam interpretandi rationem illud commendare videtur, quod in tertio exemplo exstat *ἐνταῦθα*, cuius principalis significatio notat locum, ubi aliquid fit, non directionem in aliquem locum, ita ut „daselbst", non „dorthin" vertendum sit.

Quae cum ita sint, nomen illorum dierum festorum, quos Plutarchus nominat *μετοίκια*, ita explico, ut principalem significationem praepositionis, quae est *μετά*, spectem et urgeam. Mea igitur sententia nomen *μετοίκια* aeque ac *συνοίκια* significationem praebet habitandi cum aliquo. Et principio quidem in verbo *μετοίκια* commutationis significationem non magis inesse contendo, quam in verbo *συνοίκια*. Apparet autem, in duobus verbis commutandi notionem aliquam inesse, id quod naturam ferre iam supra demonstravimus.

Neque hanc similitudinem verborum *μετοίκια* et *συνοίκια* dissuadere videtur scholiasta ad Thuc. II, 15, qui nomen mensis, qui *Μεταγειτνιών* appellatur, a Synoeciorum celebratione derivat. Itaque quamquam Mommsen fortasse iure contendit [1]), non dubium esse, quin haec derivatio falsa sit, cum *ξυνοίκια* omnino hoc mense non sint celebrata, tamen satis videlicet insigne et notabile est, quod antiquus commentator quidam verbum *συνοίκια* cum verbo *μεταγειτνιών* coniungere conatur; quod omnino explicare non possumus, nisi ea condicione, ut in verbis compositis talem discrepantiam, qualem primitus in duobus illis praepositionibus *μετά* et *σύν* exstitisse nemo diffitebitur, non inesse concedamus. [2])

Iam ad eam quaestionem, quam supra proposui, redeunti apparere mihi videtur, primum non absonum esse Plutarcho credere, suis temporibus illos dies festos re vera *μετοίκια* appellatos esse [3]), deinde hoc nomen aliam significationem atque *συνοίκια* non praestare, denique hos dies festos celebratos esse in memoriam totius Atticae in unius civitatis formam congregationis. Attamen urbana contractio ante Theseum in regione urbis Athenarum facta et facta quidem multo ante quam a Theseo tota Attica in unam civitatem redacta est, diebus festis non est celebrata. Neque enim fieri posse mihi persuasum est, ut de metagitniis cogitemus, quae quid sibi velint viri docti omnino dissentiunt. Nam Sauppe [4]) arbitratur, istorum sacrorum eam esse

---

1) Heortol. p. 206.

2) cf. Funk p. 162.

3) *συνοίκια* igitur vetustiorem esse notionem arbitror neque assentiri possum iis, quae Gilbert scripsit in ann. phil. class. VII. suppl. p. 241.

4) „de demis urbanis".

originem quod Dores Athenis recepti temporibus ipsorum migrationis suo Apollini Metagitnia egissent. Sic autem explicans prorsus reicit, quod tradit Plutarchus [1]), nonnullos Melitta profectos Diomeae consedisse. Sed ut Plutarchi traditioni aliquam fidem habeamus, ea re nequaquam efficiatur, Athenienses hos dies festos in memoriam urbani synoecismi egisse. Merito enim C. Fr. Hermann [2]) in medium profert, huius mensis nomen etiam Coe inveniri in verbo *Πεταγείτνος* ideoque originem eius ab Attica sola ductam dubium movere.

Iam ut hanc quaestionem ad finem perducam, Wachsmuthio assentiri nequeo docenti, in honorem urbani synoecismi Metoecia, Panathenaea in memoriam Atticae in unius civitatis formam redactae celebrata esse, quoniam nimirum illae duae opiniones omnino concidunt, si quidem Thucydidi credimus, quem iam supra intelleximus Thesei synoecismum actionem ad res publicas pertinentem tradidisse.

Atque porro quidem quaerimus, num omnino Panathenaea cum Thesei synoecismo coniungenda sint, id quod multi suadent. At merito profecto dubiosissimum esse mihi videtur, rene vera in memoriam eiusdem rei duo diversi dies festi celebrati sint. Panathenaea vetustissima esse testimoniis satis certis confirmatur. Atque etiam satis constat, discrimen esse inter Panathenaea minora, quae vocantur et maiora quinto quoque anno celebrata. Et Mommsenium [3]) secuti credimus maiora a Pisistrato demum exornata esse, et id quidem eo modo, ut quinto quoque anno minora ad maiora amplificata sint hoc consilio, ut Athenis quoque solemnia eius modi celebrarentur, quae magnificentia ac maiestate ceteros ludos quinquennales, velut olympicos aequipararent. Quem ad finem Pisistratus illa solemnia denuo constituit, quae ex vetustissimis temporibus celebrata esse verisimile est. Neque enim quidquam nos impedit, quominus Plutarcho credamus Panathenaea a Theseo instituta esse docenti. Quod quamquam concedo, repudianda tamen nihi videtur eorum opinio, qui Panathenaea cum synoecismo ipso apte cohaerere dicunt. [4]) Neque Plutarchi quidem haec est sententia, quamvis nonnulli viri docti velint. Nam Plutarchi [5]) verba: *τήν τε πόλιν Ἀθήνας προςηγόρευσε καὶ Παναθήναια θυσίαν ἐποίησε κοινήν* nihil aliud exprimere videntur nisi hoc, „Theseum Panathenaea, quae iam erant, solemnia omnibus communia reddidisse." Quae traditio mea opinione ad explicanda Panathenaea haud inanis est. Erant solemnia Minervae, ab omnibus Atticis celebrata in honorem illius deae, quae erat patrona urbis, quae Periclis temporibus magnificentissimis templis pulcherrimisque statuis honorabatur, quae Atticae optimum praeclarissimumque donum, oleam, largita esse dicebatur, quae idem nomen atque urbs ipsa ferebat. Quocirca Panathenaea proprie erant Athenae sollemnia, *Ἀθήναια*. Itaque a vero non abhorrere videntur verba Paus. *περι. τῆς Ἑλλάδος* VIII 2: *τούτῳ γὰρ τῷ ἀγῶνι Ἀθήναια ὄνομα ἦν, Παναθήναια δὲ κληθῆναί φασιν ἐπὶ Θησέως, ὅτι ὑπὸ Ἀθηναίων ἐτέθη συνειλεγμένων εἰς μίαν ἁπάντων πόλιν.* Neque enim profecto videtur esse, cur respuamus hanc traditionem, qua quid ipsi Athenienses posterioris temporis de gravissimis diebus festis suis cogitaverint explicari manifestum est. Itaque quamquam non-

1) de exil. 6. cf. Hermann G. A. 55, 2.

2) Gottest. Alt. §. 55.

3) Heortol. p. 116. sqq.

4) Ut hic Wachsmuthii sententiam silentio praetermittam, aliorum virorum doctorum opiniones reicio, qui Panathenaea cum Synoeciis plane confundunt, velut Hüllmann, Anfänge der griech. Geschichte p. 144. Ilgen, de tribubus atticis p. 65.

5) Thes. 24.

nulli scriptores Erichthonium illum fabulosum Panathenaea instituisse proferunt [1]) neque minus Plutarchus nomen illorum sollemnium iam initio Panathenaea fuisse videtur arbitrari, tamen puto, festis illis diebus initio nomen fuisse Athenaeis. [2]) Et celebrabantur haec Athenaea in honorem Minervae deae, patronae et quasi tutelae, id quod intellegere possumus ex ordine celebrationis summum gradum consequentis, ubi crocea vestis deae in aedes eius summa in arce sitas pompa sollemni ferebatur. Cum autem per Theseum cives totius Atticae in unam civitatem congregati essent, cum omnes Attici facti essent Athenienses, quae antea urbis, iam totius terrae facta est dea, quo facto iure illa sollemnia Panathenaea appellari poterant. Hactenus igitur ea cum synoecismo quodammodo cohaerere quamquam nemo infitiabitur, hoc tamen profecto probari non potest, in memoriam synoecismi ea esse celebrata.

## Cap. III.

Posteaquam primo huius dissertatiunculae capite Thucydidis de Thesei synoecismo iudicium exposuimus, deinde altero id quod Wachsmuth de fide Thucydidis synoecismum describentis protulit iudicavimus, iam sequitur, ut ceterorum quoque fontium ratione habita brevi disputemus, quomodo Thesei synoecismum factum esse verisimillimum sit. Prius autem, quam hanc quaestionem explicare coner, liceat mihi pauca addere de persona illius viri, qui auctor synoecismi fuisse dicitur. Theseum quidem tradunt et Thucydides et alii scriptores Atticam in unius civitatis formam redegisse. Atqui recentiore tempore multum disputatum est, utrum Theseus vere vixerit necne. Is profecto neque unquam vixit nec verus homo fuit, cuius vitam Plutarchus describit, cum Theseum, quem Atticae Heraclem iure ac merito appellant poëtae, de civibus suis optime meritum urbem a portentis liberando, confuderit cum eo, quem Thucydides quoque conditorem civitatis atticae praedicavit. Illum sine dubio fama procreavit, hic fortasse dignus est, qui verus homo putetur; nam synoecismus ille totius Atticae fieri non potest ut casu quodam vel natura perfectum sit, sed, quod is accidit illis temporibus, quibus populus in rebus publicis non nimis progressus erat, eius naturam facilius cognoscere poterimus, si statuerimus, synoecismum profectum esse a viro, qui *μετὰ τοῦ ξυνετοῦ καὶ δυνατός* factus est. Neque enim quisquam diffitebitur, non solum summa prudentia opus fuisse ad percipiendum magnificentissimum synoecismi eventum, sed etiam vi ac potestate, ut gravia ad effectum ducerentur consilia, quibus multos alios aliis causis obluctatos esse luce clarius est. Ob eam autem ipsam causam etiamsi fortasse Creutzer [3]) a vero non aberrravit, cum nomen Thesei a verbo *θέσθαι* derivandum esse satis magna cum audacia suspicetur, ea re, opinor, nullo modo efficitur, illud nomen omnino certum hominem non significare, sed quasi symbolum esse temporis spatii cuiusdam, quo res Atheniensium forma civitatis definita in novum quendam ordinem dispositae essent. Fortasse nomen, non homo in dubium potest vocari, sed ne hoc quidem satis iusta causa; nam multa nomina propria Graecorum transmutatam habent significationem. Accedit quod illa etymologia, quae vocatur, omnino pro experto putari nequit. Ceterum nominis profecto minima ratio habenda est, hoc est caput, ut a vero et certo homine illum Thesei synoecismum, quem vocant viri docti, profectum esse profiteamur.

Iam cum redeam ad ea, quae supra initio capitis proposui, omnes, quos novi, fontes perlustranti statuendum mihi videtur, duplicem esse traditionem in describendo Thesei syn-

1) cf. Hermann, gottesd. Altertümer.

1) cf. Curtius, griech. Gesch. I. p. 274.

2) Symbolik IV. p. 269.

oecismo. Alteri quidem scriptores, cum summatim fere eadem tradant, quae apud Thucydidem legimus, nos docent, Atticos antiquissimis temporibus incoluisse singulas urbes sive vicos haud ita paucos — quas habitandi rationes easdem esse infra demonstrare studebo, — alteri dodecapolin — verbo sit venia! — esse pristinum Atticae statum. Locos ipsos huc spectantes nunc profero.

Quid Plutarchus (vita Thes.) de synoecismo tradat, iam supra exposui, ubi Plutarchum in describendo synoecismo ex Thucydide pendere demonstrare conatus sum. Neque haec videntur Thucydidi occurrere, quae Isokrates profert in laud. Hel. p. 35: *τὴν πόλιν σποράδην καὶ κατὰ κώμας οἰκοῦσαν εἰς ταὐτὸν συναγαγών.*

Prorsus universe dicit Pseudodemosth. ad Neair. §. 75: *ἐπειδὴ δὲ Θησεὺς συνῴκισεν αὐτούς.*

Diodor. IV. 62 profert: *ἐπιφανέστατον συνετελέσθη τὸ τοὺς δήμους ὄντας μικροὺς μὲν τοῖς μεγέθεσι, πολλοὺς δὲ τὸν ἀριθμὸν μεταγαγεῖν εἰς τὰς Ἀθήνας*

At diversi ab his, quos modo in medium protuli, fontibus sunt ii, qui numerum veterum illarum Atticae urbium duodecim fuisse tradunt.

Primo loco respiciendus est Strab. IX. 1. 20: *τοιαῦτ᾽ οὖν ἀπόχρη προσθήσειν, ὅτι φησὶ Φιλόχορος πορθουμένης τῆς χώρας ἐκ θαλάττης μὲν ὑπὸ Καρῶν, ἐκ γῆς δὲ ὑπὸ Βοιωτῶν, οὓς ἐκάλουν Ἄονας, Κέκροπα πρῶτον εἰς δώδεκα πόλεις συνοικίσαι τὸ πλῆθος, ὧν ὀνόματα· Κεκροπία, Τετράπολις, Ἐπακρία, Δεκέλεια, Ἐλευσίς, Ἄφιδνα (λέγουσι δὲ καὶ πληθυντικῶς Ἀφίδνας) Θόρικος, Βραυρών, Κύθηρος, Σφηττός, Κηφισιά (Φαληρός,* quod deest in compluribus manuscriptis) . . . . *πάλιν δ᾽ ὕστερον εἰς μίαν πόλιν συναγαγεῖν λέγεται τὴν νῦν τὰς δώδεκα Θησεύς.*

Deinde in Etymol. Mag. s v. *ἐπακρία* et apud Suidam sub eod. verb. haec sunt adnotata: *Ἀθηναίους πάλαι κωμηδὸν οἰκοῦντας πρῶτος Κέκροψ συναγαγὼν κατῴκισεν εἰς πόλεις δυοκαίδεκα. Καὶ τὴν τῶν πολιτῶν ἐπωνυμίαν ἀφ᾽ ἑαυτοῦ Κεκροπίαν προσηγόρευεν. Δύο δὲ τετραπόλεις ἐκάλεσε, ἐκ τεσσάρων πόλεων ἑκατέραν μοῖραν καταστήσας. Τρεῖς δὲ τὰς λοιπὰς ἐπακρίδας ὠνόμασε, καὶ ἡ προσεχὴς χώρα ταύταις ταῖς τρισὶν ὁμωνύμως αὐταῖς ἐπακρία ἐκαλεῖτο.*

In chron. Par. 34 legimus:

> *ἀφ᾽ οὗ Θησεὺς . . . Ἀθηνῶν τὰς δώδεκα πόλεις εἰς ταὐτὸ συνῴκισε καὶ πολιτείαν καὶ δημοκρατίαν ἀπέδωκε,*

denique in frag. Theophr. *χαρακτ.* c. 26., quod tamen iure in dubium vocatum esse videtur [1]): *τοῦτον (Θησέα) γὰρ ἐκ δώδεκα πόλεων εἰς μίαν καταγαγόντα.*

Iam omnes traditiones complectentes Gilbertio [2]) assentiri non poterimus docenti „daß die gesammte einheimische Überlieferung der Athener sich den vortheseischen Zustand Attica's nicht als das Nebeneinanderbestehen von 4 Teilkönigtümern, den späteren 4 Phylen entsprechend, sondern als ländliche Komenverfassung vorstellte, in der die einzelnen Komen politisch selbständig waren" [3]) et paulo ante [4]) „die 3fache Scheidung der Tradition über die ältesten Zustände des attischen Landes, wie sie Philippi aufgestellt hat, muss demnach als verfehlt gelten, vielmehr bezeugen Isokrates, Thucydides und Philochorus gleichmäßig als vortheseischen Zustand eine ländliche Komenverfassung."

---

1) cf. Philippi, Beiträge zu einer Geschichte des attischen Bürgerrechtes, p. 258.
2) Jahrb. für class. Philol. Suppl. VII p. 203 sqq.
3) p. 205.
4) p. 205. Rectum mihi videtur iudicium de Gilbertii libro in Bursian. XV. 6. Jahrg. 3. Abth. p. 281: das einzelne führt Gilbert in seiner alle Differenzen der Ueberlieferung ausgleichenden Weise aus.

Ac primum quidem de Philochori sententia disputemus. Cum in illo loco Strabonis ipsum Philochori nomen exstet, Haasii [1]) sententia quamvis sit sagax, tamen satis dubiosa est, qui verum Philochori iudicium verbis Etymol. Mag. potius quam a Strabone traditum esse vult. [2]) Quamquam minoris momenti mihi tota haec quaestio videtur esse, cum nemini sententiam quam defendit Philippi [3]) probanti persuasum non sit, omnes fontes, qui duodecim urbes dicunt, ad Philochorum esse referendos; neque enim ullius earum traditionum, quas supra protuli, origo Philochori aetate antiquior est. [4]) Eius igitur traditionis, quae Atticos duodecim urbes pristinis temporibus incoluisse docet, auctorem Philochorum esse contendo Quae cum ita sint, a vero abhorrere videtur [5]), Plutarchum in describendo synoecismo pendere ex Philochoro, quippe cum duodecim urbium illum mentionem facturum fuisse manifestum sit. Immo vero supra demonstrasse mihi videor, Plutarchum hic ad Thucydidem se applicavisse.

Itaque ei traditioni, cuius auctorem Philochorum esse putamus, opposita sunt illa, quae Thucydides et alii scriptores tradunt. Et tradunt hi quidem mea sententia eadem. Nam postquam Kuhn [6]) quid intersit inter *πόλεις* et *κώμας*, optime exposuit [7]), Philippio [8]) nequeo assentiri, qui loco illo Isocrateo propriam traditionem contineri iudicat.

Duplex igitur est traditio: Philochorus docet, duodecim urbes Atticae fuisse ante synoecismum, Thucydides simulque Isocrates, Plutarchus, ceteri fontes numero XII neglecto memoriae produnt, Atticam ante synoecismum separatis civitatibus, quarum naturam supra cognovimus [9]), inhabitatam esse, sive singulis his partibus nomen *κώμας*, sive *πόλεις* indimus.

Quarum traditionum hanc esse veram, mihi quidem persuasum est. Nam ut hic praetermittam, quod duodecim illae urbes nullo modo coniungi possunt cum iis, quae de ioniis tribubus, quas vocant, et veteres scriptores tradiderunt et nostri viri docti coniectaverunt [10]), numerus, qui est duodecim, omnino magnas habet suspiciones. Nam hunc summis in deliciis Graecorum fuisse quis est qui neget? Itaque semper nobis diiudicandum est, utrum ad veras res iste numerus referendus sit, an consilio cuidam vel arbitrio debeatur. Duodecim erant superiores dii olympici, duodecim phratriae discernebantur, duodecim urbes ioniae erant et in Aigialea et post migrationem in Asia (Herod. I. 145: *Δοκέουσι δέ μοι δυώδεκα πόλιας ποιήσασθαι οἱ Ἴωνες καὶ οὐκ ἐθελῆσαι πλεῦνας ἐσδέξασθαί τοῦδε εἵνεκεν, ὅτι καὶ ὅτε ἐν Πελοποννήσῳ οἴκεον δυώδεκα ἦν αὐτῶν μέρεα, κατά περ νῦν Ἀχαιῶν τῶν ἐξελασάντων Ἴωνας δυώδεκά ἐστι μέρεα . . . Ταῦτα δυώδεκα μέρεα νῦν Ἀχαιῶν ἐστι καὶ τότε γε Ἰώνων ἦν τούτων δὴ εἵνεκεν καὶ οἱ Ἴωνες δυώδεκα πόλιας ἐποιήσαντο . .*) Itaque assentior Gilbertio [11]) et aliis opinantibus numerum XII ad arbitrium constitutum esse, fortasse ab Atthidum scriptoribus, quorum in numero Philochorus summum obtinet locum, sive antea. Nam dubium esse potest, utrum Philochorus sententiam suam hauserit ex iis, quae

1) Abhandl. der hist. philol. Gesellschaft in Breslau 1857. p. 72.
2) cf. Kuhn p. 54 sqq.
3) p. 256 sqq.
4) p. 258.
5) Aliter iudicat Gilbert p. 204.
6) p. 188 sqq. cf. ea quoque, quae Gilbert p. 202 sagaciter exponit.
7) cf. ea, quae supra p. 5 dicta sunt.
8) p. 234. cf. ceterum p. 256, ubi Philippi haec profert: Ungefähr dieselbe Auffassung treffen wir bei Pseudo-Demosthenes und Isokrates etc.
9) cap. I.
10) cf. Haase p. 72.
11) p. 205.

sermone hominum posteris tradita erant neque ad nostram aetatem pervenerunt, an ipse statuerit. Ut illud verum sit, ea re efficiatur, ut Thucydides aut illam traditionem omnino cognitam non habuerit, — quod tamen mihi quidem non probatur —, aut licet habuerit, repudiaverit.

Cum hae causae nos commoveant, ut numerum XII reiciamus, tum commovet quod perdifficilis et perobscura quaestio de quattuor tribubus ioniis huc spectat. Non meum est hoc loco istam quaestionem accuratissime inquirere, sed cum totam disceptationem satis notam esse ponam, satis habeo summatim ac brevissime meam sententiam explicare. Docuerunt me imprimis Schoemann [1]), Haase [2]), Kuhn [3]), Philippi [4]).

Non dubium est, quin quattuor tribus ioniae, quibus nomina sunt *Γελέοντες*, *Ἀργαδεῖς*, *Αἰγικορεῖς*, *Ὅπλητες*, vetusta sit divisio Atticae, quae tamen primitus ad res publicas omnino non pertinet. Jam etymologia, quae vocatur, nominum cognoscimus, quattuor diversa negotia significari. Pono singulas tribus separatas habitasse, ex quo effici cogique potest, ut tribus non fuerint corpora, quae nos dicimus „Kasten", sed referenda sunt nomina — id quod vult Schoemann — ad eos, qui plurimi quidem negotium quoddam naturae loci, quem incolebant, conveniens gerebant, sive — ut Kuhnii explicationem [5]) sequamur — illis nominibus est significatio a potiori. Ut igitur singularum tribuum sedes fuisse seiunctas ac separatas velimus, non alienum videtur, eas connectere cum geographica quadam partitione Atticae, quae ex natura huius terrae pendens quattuor ostendit partes, quarum nomina sunt haec: Acte, Mesogaea sive Pedion, Paralia, Diacria.

Quamquam viri docti in distribuendis tribubus non consentiunt. Geleontes sane omnium fere consensu in Acte collocantur, sed in ceteris dispertiendis duae imprimis diversae sunt sententiae. Alteram defendunt Duncker [6]), Schoemann [7]), Philippi [8]), alteram Haase [9]), Kuhn [10]).

Duncker cum Hopletes circa Marathonem, Argadenses circa Eleusim, Aigicorenses in regionibus montuosis habitavisse arbitretur, dividit Diacria inter Hopletes et Aigicorenses, Pedium tribuit Argadensibus. Eandem fere viam ingressus est Schoemann, qui Argadenses collocat in Pedio sive Mesogaea, Hopletes in litore ad Euboeam verso, Aigicorenses in montibus finitumis; dispersit igitur hic vir doctissimus et idem Diacria inter Hopletes et Aigicorenses. Puto omnes, qui hanc sententiam probant, imprimis commotos esse fabula illa, quae Xuthum in Atticam immigrasse et ab Erechtheo Tetrapolin in Diacria sitam accepisse tradidit. Hopletes enim intellegendos esse eos, qui immigravissent, consentiunt illi viri docti, quorum sententias Philippi quoque probat atque accuratius illustrat.

At Haase fabulam illam in diiudicandis tribubus minoris esse momenti arbitrans, alteram nobis ostendit rationem explicandi, cum dicat non esse dubium, quin Hopletes fuerint incolae

1) Griechische Altertümer.
2) Athen. Stammverfassung.
3) Ueber die Entstehung der Städte der Alten.
4) Beiträge zu einer Geschichte des attischen Bürgerrechts.
5) p. 66.
6) III. p. 60. 429.
7) p. 328.
8) p. 270 sqq.
9) p. 72 sqq. 94 sqq.
10) p. 65 sqq.

Pedii, cuius fertilitas maxime sit idonea ad exornandos milites gravis armaturae. Iam Argadenses, quos non agricolas, sed opifices existimet, in Paralia ponit, Aigicorenses in montibus Diacriae.

Hanc explicationem ob eam imprimis causam magis mihi placere fateor, quod, si eam probaverimus, facilius intellegemus, quomodo rerum atticarum commutationes eo, quod subsequebatur, tempore factae sint, ad quas breviter exponendas iam accedamus.

Tum enim, cum Thesei synoecismo Attica in unius civitatis formam redacta est, quattuor hae tribus, quae usque ad id tempus nihil aliud erant, nisi naturalis quaedam Atticae partitio, in rebus publicis valere coepisse mihi persuasum est[1]), et tum demum tribus in phratrias et gentes dispertitas esse. Ex tribubus autem profecta sunt, ut videtur, etiam tria corpora Eupatridarum, Demiurgorum, Geomororum, neque hactenus quidem ita absona videtur Plutarchi traditio, a Theseo demum tria haec corpora instituta esse. Atque eo modo haec exorta esse suspicabimur, ut Eupatridae nempe, quamquam ex omnibus tribubus proficiscebantur, tamen haud scio an praecipue Geleontes et Hopletes fuerint, qui multos agros possiderent; Geomoros censebimus profectos esse imprimis ex Aigicorensibus, Demiurgos ex Argadensibus. Nemini igitur non appariturum esse puto, me urgere velle, huic quoque rerum atticarum progressui significationem a potiori indendam esse. Ac porro quidem a vero non aberrare videmur, si Haasii[2]) sententiam secuti statuimus, etiam tres illas factiones, quas Solonis temporibus in Attica viguisse satis inter omnes constat, Pedieos, Paralios, Diacrios cum illa, quam antea nuncupavimus, partitione, coniungendos esse, dummodo hos quoque ita intellegamus, ut Pedieos p r a e c i p u e Eupatridas, Diacrios praecipue Geomoros, Paralios praecipue Demiurgos fuisse dicamus; nam Eupatridas ètiam inter Paralios et Diacrios fuisse, eo apparet, quod Paraliorum dux fuit Megacles amplissima Alcmaeonidarum gente ortus, Diacriorum Pisistratus Philaidarum familia non minus nobili natus.

Pristinum igitur Atticae statum puto fuisse hunc:

Vetustissimis temporibus Attica incolebatur in urbibus sive vicis, liberis quidem neque inter se coniunctis. Altera partitio et naturae terrae et vivendi modo incolarum conveniens et eadem intellegi potest vetustissima, sed tum demum ad res publicas aliquantum valuisse videtur, cum loco opportunissimo tota Attica ita contracta est, ut Athenae metropolis totius Atticae fierent. Quo in synoecismo tria quidem corpora facta sunt, sed pristina in quattuor partes distributio retinebatur, quamquam singulas tribus post synoecismum non eo modo, quo antea, separatas habitasse manifestum est. Scimus, eas a Clisthene sublatas cessisse distributioni in decem tribus, quae cum populari ratione Atheniensium magis congruebat.

Pristinarum urbium singulas urbano quodam synoecismo coisse verisimillimum est; itaque Wachsmuthio concedemus, priorem urbem Athenas, quae Thesei synoecismo postea metropolis terrae facta est, urbano synoecismo coloniarum diversarum gentium exortam esse. Sed duo hi synoecismi accuratissime sunt discernendi.

---

1) cf. Kuhn p. 70, Haase p. 94.

2) cf. Haase p. 94.

# Excursus de Thuc. II. 16.

Initium Thuc. II. 16 sic in libris traditum est: τῇ τε οὖν ἐπὶ πολὺ κατὰ τὴν χώραν αὐτονόμῳ οἰκήσει μετεῖχον οἱ Ἀθηναῖοι καὶ ἐπειδὴ ξυνῳκίσθησαν κτλ.

Particula οὖν significat, Thucydidem post digressum capitis XV iam redire ad ea, quae extremo capite XIV protulit. Et profecto verba, quae sequuntur: οὐ ῥαδίως τὰς μεταναστάσεις ἐποιοῦντο respiciunt illa: χαλεπῶς δε αὐτοῖς . . . . ἡ ἀνάστασις ἐγίγνετο, qua re apparet, per epanalepsin, quam vocant grammatici, haec verba dicta esse, id quod scholiasta quoque recte perspexit. Quid autem esset, cur inviti Athenienses bello peleponnesiaco exorto in urbem immigrassent, scriptor sub finem cap. XIV attulerat verbis his: διὰ τὸ ἀεὶ εἰωθέναι τοὺς πολλοὺς ἐν τοῖς ἀγροῖς διαιτᾶσθαι. Atque etiam hanc causam Thucydides initio cap. XVI per epanalepsin iterum nobis proponit, cum dicat: τῇ δὲ οὖν ἐπὶ πολὺ κατὰ τὴν χώραν αὐτονόμῳ οἰκήσει . . . διὰ τὸ ἔθος ἐν τοῖς ἀγροῖς . . . οἰκήσαντες. Sed hic sententiarum ordo, quem inesse iis, quae infra proferam, evidentissime, opinor, apparebit, e lectione omnibus codicibus tradita bene ac dilucide hauriri non potest. Ante omnia enim quaeritur, quid sibi velit illud μετεῖχον, quod adhuc usque nemo satis explicuit. Ac primum quidem iure meo iudicio negant grammatici, μετέχειν coniungi posse cum dativo, cum nusquam exemplum huius usus reperiatur. Iam scholiasta hoc dativo offensus erat, quippe qui eum in genetivum mutandum esse censeret. Nihilo minus Poppo dativum eo servare studuit, quod duo profert exempla ex Demosthenis scriptis deprompta, ubi verbum κοινωνεῖν cum dativo coniunctum reperitur. Hi duo loci sunt Demosth. περὶ παραπρεσβ. §. 334: στρατηγὸς εἴ τις ἠδίκηχ᾽ ἡμᾶς, οὐχὶ κοινωνεῖ ταῖς νῦν εὐθύναις, et id. περὶ τοῦ στεφ. 58: κοινωνεῖν μὲν ἡγοῦμαι καὶ τοῦτο τοῖς πεπολιτευμένοις, εἴτ᾽ ἄξιός εἰμι τοῦ στεφάνου καὶ τῆς ἀναῤῥήσεως τῆς ἐν τούτοις εἴτε καὶ μή. „Aber", — respondet Krueger in adnotationibus — „der Unterschied ist bedeutend: es steht hier weder πρᾶγμα μετέχει πράγματι, noch ἀνὴρ ἀνδρί." Quod ut paulo aliis verbis repetam, κοινωνεῖν illis locis non significat „participem vel consortem esse alicuius rei," — qua in notione κοινωνεῖν quoque cum genetivo coniungitur — sed „consentire cum" sive „rem habere cum," sive ut nostra lingua utar, „zusammenhängen, übereinkommen, mit Jemandem etwas gemein haben," ita ut τινί exstare pro σύν τινι explicandum sit. Quibus rebus commotus dativum posse servari non puto. Sed ne scholiastae quidem, quem secutus est Bloomfield, dativum falso pro genetivo positum esse iudicanti assentiemur, cum, quomodo haec mutatio facta sit, vix possit intellegi; accedit, quod restituto genetivo non modo oratio fluit lanquidissime, sed ne perspicuus quidem sententiarum ordo evadit. Neque aliud, opinor, dicendum erit de omnibus emendationibus, quae retento illo μετεῖχον aliae alia supplenda esse censent, velut de coniectura Gottleberi, qui cum Abreschio post μετεῖχον supplet ἐκεί-

νης, ita ut verba τῇ usque οἰκήσει putanda sint dativus causae, quem dicunt grammatici, idemque valeant atque διὰ τὴν . . οἴκησιν. Etiam Dobrei coniectura ἐπεῖχον non placet, cum ἐπέχειν τινί nullam aliam habeat vim, nisi aut tendendi ad aliquid, sive aggrediendi aut, si νοῦν est subaudiendum, cogitandi de aliqua re. — Denique ne Herbstii quidem rationem, quam hic vir doctissimus iniit in Philol. XVI p. 301, probare possum. Qui αὐτῆς suppleto ad μετεῖχον verba οὐ ῥαδίως . . . τὰς μεταναστάσεις ἐποιοῦντο non refert ad migrationem initio belli peloponnesiaci factam. At rerum et verborum contextus et quod additum est ἄλλως τε καί huic sententiae occurrere videtur.

Rectam corrigendi viam meo quidem iudicio ingressus est Classen, quamquam huius quoque viri doctissimi neque lectionem, neque explicationem prorsus probo. Neque enim solum hic vir doctissimus illo μετεῖχον, quod aut falso interpositum esse, velut I, 58 ἔπρασσον, aut cum alio verbo, fortasse cum ἀντισχούσῃ sive κατασχούσῃ commutatum esse docet, sed etiam merito, ut videtur, particulis τέ — καί offensus est; nam una causa, non duae diversae sunt, cur haud facile Athenienses in urbem immigraverint. Itaque pro τε οὖν legendum esse censet δ' οὖν, quod simili modo I, 3, 4 exstat et id quidem ea ratione, ut a simplici οὖν vix differat. Quo facto Classen lectionem suam — ut ipsius verbis utar — sic explicat: das umfassende Subject des Satzes οἱ Ἀθηναῖοι erhält in der Form der Apposition καὶ ἐπειδή . . . οἰκήσαντες eine Beschränkung, welche durch die hinzutretenden Participia γενόμενοί τε καὶ οἰκήσαντες zu der Wirkung eines absoluten Zwischensatzes gelangt, vergl. I. 49. 4: das καὶ ist nicht copulativ, sondern epitatisch. Sed ea explicatio non prorsus recta atque accurata mihi videtur esse, quippe qua verba τῇ δ' οὖν . . . οἰκήσει fiant principalis causa illius οὐ ῥαδίως . . . ἐποιοῦντο, quod tamen probari non posse iis spero apparituram, quae ad fulciendam meam sententiam iam prolaturus sum.

Sic enim legendum esse puto: τῇ δ' οὖν ἐπὶ πολὺ κατὰ τὴν χώραν αὐτονόμῳ οἰκήσει, καὶ ἐπειδὴ ξυνῳκίσθησαν, διὰ τὸ ἔθος ἐν τοῖς ἀγροῖς ὅμως οἱ πλείους . . . οἰκήσαντες, οὐ ῥαδίως κτλ. Verba τῇ δ' οὖν . . . οἰκήσει subordinata sunt iis, quae subsequuntur: διὰ τὸ ἔθος ἐν τοῖς ἀγροῖς ὅμως οἱ πλείους . . . οἰκήσαντες, et rursus haec exprimunt causam eorum, quae scriptor tradit his verbis: οὐ ῥαδίως . . . ἐποιοῦντο. Nam quis est qui neget, absurdum esse dicere Athenienses, quia olim liberi ac sui iuris ruri vixissent, tot annis iam peractis invitos in urbem migrasse? Videlicet hae inter se cohaerent res, sed sententia quadam interposita. Quia incolae Atticae diu liberi ac sui iuris ruri vixerant, plerique consuetudinem ruri vivendi etiam post synoecismum retinebant. Iam quia etiam post Theseum ex consuetudine plurimi in agris remanserant, ii irrumpente bello peloponnesiaco inviti in urbem immigraverunt. Sic vitamus etiam duos nominativos οἱ Ἀθηναῖοι et οἱ πλείους, qui quamquam non absoni, tamen miri sunt, cum exemplum prorsus respondens nondum repertum sit. Omissum οἱ Ἀθηναῖοι quemquam desideraturum non puto, cum brevi ante ὑπ' Ἀθηναίων exstet. Quo modo autem μετεῖχον οἱ Ἀθηναῖοι in textum, qui vocatur, irrepserit certe nequit diiudicari. Haud scio an quispiam diuturna et libera in agris habitatione Athenienses ruri vivere consuevisse explicaturus ad marginem scripserit: μετεῖχον [γὰρ] οἱ Ἀθηναῖοι sc. τῆς κατὰ τὴν χώραν οἰκήσεως καὶ ἐπειδὴ ξυνῳκίσθησαν, quem tamen explicandi conatum ut cautam arbitreris suspicionem, benevole lector, te oro rogoque.

Jamiam quomodo locum illum velim germanice verti addo: Da also (wie gesagt) in Folge des langen, selbständigen Wohnens auf dem Lande auch nach dem Synoecismus gleichwohl die meisten der Alten und Späteren bis zu diesem Krieg aus Gewohnheit mit ihrem ganzen Hauswesen auf dem Lande wohnten, so vollzogen sie nicht leicht den Umzug.

Ad rem accuratius percipiendam haud alienum esse videtur, sententiarum ordinem sic ad oculos demonstrare.

A significet: Athenienses inviti in urbem immigraverunt.
a „ Athenienses etiam post synoecismum ex consuetudine in agris vivebant.
$\alpha$ „ Athenienses antiquissimis temporibus ante Theseum liberi ac sui iuris in agris vivebant.

Itaque sententiarum ordo, ut nostra utar lingua, hic est:

Cap. XIV: A war bedingt durch a.
Cap. XV: a war bedingt durch $\alpha$.
Cap. XVI: Wie gesagt also (οὖν): in Folge des durch $\alpha$ bedingten a fand A statt.